

4 402034 ✓

# BREVIS PHILOSOPHIÆ HISTORIA.



4

## § I.

**P**HILOSOPHIA quæ à parvis initiis lente ad summum fastigium evecta conspicitur, non quælivet veri, et boni cognitio est, sed cognitio per argumentationem rite instructam acquisita: Scire enim proprie non in nuda rerum continetur notitia, sed ulterius progreditur, et causas inquiri propter quas res sunt, et fiunt, fierique possunt. Qui lunæ observat eclipsim, cognitionem obtinet cum rudissimo quovis communem; si vero causas ipsas obscurationis perscendere possit, jam philosophica gaudebit cognitione. Si denique, definire valeat cuanta debeat esse lunæ obscuratio, mathematicam sibi comparavit eclipsios cognitionem.

## § II.

Quamvis vero omnia, quæ de rebus corporeis et incorporeis experientia, et ratiocinatione dignosci possunt ad philosophiam referenda essent, hoc tamen tempore sub philosophiæ ambitu continentur duntaxat Logica, Ethica, Methaphisica, et Phisica, reliquis scientiis naturalibus in alias classes distributis ob amplissima illarum incrementa. Sicut Logica intellectus, ita voluntatis directionem Ethica suscipit. Methaphisica ens in universum, mundum generatim, incorporeasque substantias considerat. Phisica, denique, determinat rerum sensibilibum naturam, causas harumque agendi rationes. Cum autem in rebus corporeis multa sint, quæ augeri vel minui possunt ideoque æstimari, motus exempli gratia, vires, extensio; efficitur inde, ut de pluribus Matheseos puræ et mixtæ capitibus agendum in illa sit veluti de Arithmetica, Geometria, Mechanica, Dinamica, Hydrodinamica, Optica, Catoptrica, &c.

## § III.

Qui philosophiæ initia, progressus, facta, et philosophorum dogmata voluerit accurate pertractata videre, præ-

ter historiam philosophicam Heinecii, et Baldinoti, consulat Fabricium, Stanlejum, Brukerum, Deslandes, aliosque qui amplissimam hujus rei præbent notitiam. Nos, ne ab instituto discedamus illos dumtaxat enarrabimus, quæ prorsus ignorare Tyronibus philosophis nefas esset.

#### § IV.

Nulla ex vetustissimis nationibus philosophiæ prorsus expers fuit: quælibet gens proprios habuit philosophos, ut Celtæ Druidas: Babylonij Asyriique Chaldeos: Persi Magos: Indi Brachmanes: Ægyptij Hierofantas: Hebræi Rabinos: Hispanij Cultissimos Turdetanos. Omnibus vero palmam præripuerunt Græci: hi siquidem peragrato universo ferme mundo, conquisitisque undique veritatibus philosophiam in unum veluti corpus digesserunt, quod postea in varias sectas divissum fuit.

#### § V.

In septem veluti familias discriminata fuit tota Græcorum doctrina. 1.<sup>æ</sup> Schola Poëtica: 2.<sup>æ</sup> Italica: 3.<sup>æ</sup> Ionica: 4.<sup>æ</sup> Academica: 5.<sup>æ</sup> Peripatetica: 6.<sup>æ</sup> Eleatica: 7.<sup>æ</sup> denique Sceptica nuncupatur.

#### § VI.

Poëtæ antiquissimum philosophorum genus in Græcia fuere, ut Linus, Anfon, Muceus, Hesiodus et Homerus. Hi dissipatos homines in societatem vitæ convocarunt à majoribus accepta doctrina. Quamvis vero omnia fere obscura, æquivoca et intellectu difficilia, ut pote antiquissima et ambagibus plena, id tamen liquido constat mundum, ejusque partes in Deos retulisse, suisque distinxisse nominibus, quibus addidere heroas, plurimasque hujus generis fabulas.

#### § VII.

Poëtis septem sapientes succederunt, Thales scilicet, Solon, Chilon, Pitacus, Bias, Cleobolus et Periander. Hi quidem in Civitatibus constituendis, et legibus condendis ver-

sati, brevibus sententiis acute excogitatis, et ad emendandos mores accommodatis, illustre sibi nomen fecerunt.

### § VIII.

Italicis originem dedit Pitagoras Samius, sic dictus à Samo insula Ioniæ in Asia minori, ubi anno 3457 ortus est. Magnus hic naturæ, verique investigator collecta sibi ex variis mundi partibus doctrinæ, copia, in Italiam secessit, et Crotone urbe maritima Gymnasium publico aperuit, ex quo prodire inter alios Arquitas Tarentinus, Ocellus, Lucanus, Hyparcus, Philolaus, Timeus, Locrus, aliique. Peritissimus sese ostendit philosophus iste in arithmetica, musica, et geometria, quam etiam locupletavit adinventis, inter quæ celeberrimum est Theorema de potestate hypotenusæ in angulo ortogonio.

### § IX.

Ionica philosophia in eandem incidit ætatem. Thales enim Milesius, qui natus creditur anno 636, ante Christum, post varias orbis peregrinationes philosophi, ac sapientis nomen adeptus est. Mileti in patria cælebs concevit, ejusque dogmata per Anaximandrum, Anaxogoram, Clasomenium, ac tandem Archelaum, ad Socratem pervenere.

### § X.

Socrates Archelai auditor tam recte de plerisque philosophatus est, ut merito *fons philosophorum, et philosophorum omnium* doctissimus à Valerio Maximo, et Lactantio sit appellatus. Cum atheismi accusaretur ab Anyto et Melitone, cicutam bibit non sine magno Atheniensium dedecore. Ex ejus discipulis variæ sectæ ortum ducunt, ut Cirenaica ex Aristipo, Eliaca ex Phædone, Magarica ex Euclide, Cinica ex Zenone Cinico, ac tandem Academica ex Platone.

### § XI.

Hic facundus insignisque philosophus, audito Socrate, itinereque suscepto ad ægyptios, degustatis etiam Heracli-

dis, et Pithagoræ dogmatibus, scholam aperuit in quodam atheniensi loco quem dixit Academia. A veteribus divinus nuncupatur propter ejus solertiam, ingenium, eruditionem et scientiam. Patres etiam Ecclesiæ ipsum admirati, et secuti sunt. Obiit senex anno 344 ante Christum ejusque successio tripartita fuit. Prima, quæ Academia vetus dicitur, à Platone porrigitur ad Craterem: altera ab Arce-silao ad Egesipum media nuncupatur; tertia tandem nova quæ ducitur à Carneade usque ad Clitomacum.

### § XII.

Præclarissimus Platonis discipulus fuit Aristoteles Stagirita Peripateticæ Scholæ fundator. Vir iste ingenii acumine cæteros sui temporis philosophos, Platone excepto, superavit omnemque disciplinam attigit. Egregia sunt quæ de moralibus, politica, œconomia, poëtica et rethorica instruxit: Ejus Logica licet prolixior, accurata est, illamque frustra requiremus apud Stagiritæ majores. Historia quam de animalibus conscripsit, à nemine adhuc superata est, teste Bufonio. Exilis rerumque jejuna est illius phisica, quod vitium temporibus illis potius quam philosopho tribuendum. Talis est Aristotelis fortuna, ut difficile sit reperire Philosophum, tam summis laudibus ad cælum usque sublatus, tamque indigne vituperatum, atque depressum. Mortuo Aristotele Lyceum tenuerunt, Theophrastus, Strato, Licon, Aristo, Chritolaus et Diodorus.

### § XIII.

Eleatica secta instituta fuit in urbe magnæ Græciæ Elia, seu Velia. In ea post Parmenidem, Melisum, Zenonem, et Leucipum celebres fuere Democritus, et Heraclitus. Omnes hi corpuscularem philosophiam coluerunt, quam postea perfecit Epicurus.

### § XIV.

Præter sectas huc usque commemoratas Scepticum philosophandi genus instituit Pirro Elæus Aristotelis cœvus, qui nihil certo cognosci posse contendebat. In hoc præcipue ab aliis philosophis discrepabat quod illi aliquid

certi admiserint ex quo dogmatici appellantur; hic vero perpetuo de omnibus dubitaret ac de sua dubitatione. Nihil tam ridiculum, fautoribus tamen non caruit, inter quos eminet doctissimus Sextus Empiricus.

### § XV.

Romani limites philosophiæ à Græcis designatos, longius extendere ausi non sunt, sicque nihil aliud effecerunt, quam illorum præcepta discere, aut patria lingua tractare. Eminent in hoc genere Cicero, Lucretius Carus, Plinius Senior, et Lucius Annæus Seneca, Corduvæ in Hispania natus. Sed non diù licuit Romanis esse philosophos: Barbari namque Italiam et universam fere Europam invadentes, omnia horrore, ruinis, et gladiis repleverunt. Per Ecclesiasticos et Monachos stetit, ne litteræ ad ultimum exillium perducerentur. Apud ipsos solos erant scholæ et Bibliotecæ: hi soli litteras coluere, et vetera exemplaria scripsere: absque illorum opera, et diligentia nulla esset illorum temporum historia litteraria.

### § XVI

A Christi adventu ad sæculum usque 16. Aristoteles tantum et Plato libere in scholis regnarunt: et licet post Boetii mortem, qui vixit sub finem sæculi 5 philosophia peripatetica ab scholis exulaverit, octavo tamen labente, Aristoteles revixit et brevi orbis universus se Aristotelicum esse admiratus est. Subacta enim armis magna parte Africae, Hispaniæque, nihil aliud in Gymnatiis docebatur, quam philosophia peripatetico-arabiga. Hanc exteri magno plausu excipientes ad suas gentes comportarunt sæculo præcipue 12. Ex quo factum, ut Aristoteles ex Siriaca translatione factus Arabicus per Avicenam, et Averrohem, latinusque redditus ex græco cura Hermani contracti, et Othonis Frisingensis princeps philosophorum ab universa Europa salutaretur.

### § XVII.

Ex nimia hujus doctrinæ subtilitate infinitæ pueriles, et de rebus nihili contentiones profectæ sunt, quæ postea

scholæ philosophos excercuerunt, et plerique etiam errores, qui per id tempus Ecclesiam agitarunt, ut Abelardi, Gilberti Porretani, Alberti Brixiensis &c. Ut huic malo aliquod adhiberetur remedium Gregorius IX. Aristotelis lectionem inhibuit donec expurgaretur. Hinc Sanctus Thomas, thomistarum princeps, dum Romæ Aristotelem interpretatus est, totus fuit in eo enmendando, et in Arabum erroribus convellendis. Eximius iste vir, si sæculi vitia vitare non potuit, sapientissime tamen ea declinare conatus est, sicque solidius aliis philosophavit.

### § XVIII.

Postremis sæculis plures doctissimi, et graviore scho-  
lastici, inter quos eminent Melchior Canus, et Ioannes Maldonatus auctores cæteris fuere, ut inanibus, subtilibusque disputationibus rejectis, bonam scholasticam, quæ plurimum utilitatis affert amplexarentur. Ex quo apparet non idem indiscriminatim ferendum esse iudicium de omnibus scholasticis, falsumque prorsus illos philosophiam moralem, et theologiam erroribus quam plurimis inquinasse.

### § XIX.

Præter hos reliqui varias inierunt vias, ut philosophiam à servitute vindicarent, hominesque revocarent à glandibus ad panem quærendum. Quibusdam placuit barbariem scholasticam exagitare ut Laurentio Valla, Ludovico Vives, et Desiderio Erasmo, sed parum profecerunt. Alii sectas veteres restituere conati sunt, quamvis illorum conatus pene irritus fuerit. Picus Mirandulanus Pitagoricam suscitare tentavit: Platoniam Cardinalis Besarion: Stoicam Iustus Lipsius: Epicuream Petrus Gasendus, Parmenidem denique Bernardinus Telesius.

### § XX.

Permuli, rationem deprimentes cæleste lumen invocare prædicabant, atque ab eo intus exitatos, aiebant se percipere omnia naturæ mysteria in suis chemicis operationibus, utpote cælesti lumine, igneque chimico illustrati. Fanatici hi præstigiatores totam Germaniam inundarunt,

eorumque systema theosophorum, sive mystico-chimicum appellatur. Paracelsus, Fluddus, Bohemius, et duo Vanhelmontii sunt illorum principes. Nullatenus vero confundantur illuminati hi, cum philosophis veræ chimix deditis, qui rem phisicam et medicam quotidie ditant.

### § XXI.

Non est quod plura dicamus de quibusdam recentibus Scepticis, qui Belio duce, et suo versatili genio fissi, quæ nunc ponunt, rursus tollere conantur, velocique cursu feruntur quocumque rapit illos suarum cupiditatum tempestas, ut laxato honestatis, et religionis freno liberius indulgeant, conscientix stimulos arcentes.

### § XXII.

Sunt, demum alii, qui nova excogitarunt systemata, ut Carthesius, Leibnitius, et Newtonus. Genio suo indulgens Cartesius geometrico et algebraico succo conscripsit, altissimum Poëma naturæ, quod meditabatur: Algebram Geometriæ applicuit, et utramque phisicæ: præparabit Leibnitii et magni Newtoni inventa: philosophiam denique à servitute liberavit.

### § XXIII.

Leibnitius natione Germanus, systematico ingenio, et doctrina universali perillustris, omnia complexus est, et ejus methaphisico-mathematicum systema immensis exposuit voluminibus fidelissimus illius discipulus Wolphius. Methaphisico-mathematicum dicitur, quia ex methaphisicis et mathematicis notionibus conflatum est.

### § XXIV.

Ædificium Newtoni non æquat Leibnitii amplitudinem, sed illam altitudine soliditateque superat. Cælestis atque terrestris phisica, in eo ab hypothesis liberata, sedem habent certam, et nobilem, sublectæque conspiciuntur, experimentis, Geometriæ, Mechanicæ et Opticæ. Ab effectibus ad causas, ad vires et motus leges ascendens, univer-

si theoriam detexit. Postquam vero vires, et motus leges supputavit, sese ad experimenta vertens absolvit lucis, et colorum anathomem: invenit etiam attractionem tam inter minimas, quam inter maximas universi partes. Denique opportune dubitans, ingenue declaravit se causam attractionis et alia quam plurima nescire. Res in tantam lucem evocavit ut tota Europa primum ei locum dederit, et Philosophorum principem venerata sit.

### § XXV.

Certam philosophandi viam, quam delineavit Baco de Verulamio ante Newtonum, eam pene totam confecit Galileus de Galileis in rebus phisicis: instauratio vero Logicæ, et Methaphisicæ Ioanni Lokio debetur. Nostri instituti ratio non patitur illos hic enumerare viros prestantissimos, qui admirabili quodam Philosophandi studio concitati, res phisicas et mathematicas locupletarunt multiplici observationum copia, omni experimentorum genere, sublimioribusque calculis, quibus nostra etiam ætas honestatur.

### § XXVI.

Ex his apparet in promptu esse, quæ ad philosophiæ corpus perfecte elaborandum desiderari poterant, maxime si addantur lucubrationes celeberrimarum societatem Anglicanæ, Parisiensis, naturæ curiosorum, et Berolinensis. Propterea hoc nostro ævo, quo ubique viget libertas philosophica, cordatiores nulli sectæ addicti præcipiunt, ut ex singulis ea excipiantur, quæ veritati magis consona sint. Nihil tamen magis perardum, ne dicam difficile, quam bona opportuna seligere, inepta et prava rejicere, nonnulla addere, omniaque in suo loco ponere. Periculum hoc facere datum illis videtur, qui dexteritate genii preediti, magno etiam, intelligenti, acri, et certo iudicio pollent.

---



---

### Cum licentia Ordinarii.

GUAYAQUIL.: TYPYS APUD EMMANUEL. IGNAT. MURILLO.

—o—  
Anno 1843.